

Annunciatio B. Virginis dicitur;

Paast Maria pehw (ad differentiam visitationis Mariæ, quæ dicitur **heina Maria pehw**.) Hoc die rustici tantum exhauriunt cerevisiæ, quantum sufficit faciei rubicundæ; quod vocant **punnase johma**; arbitratae faciem per totum annum ita apparituram.

Palmarum dies vocatur **Urba pehw**/ eò quòd arbores germinant: **urwas** enim gemmam in raris significat.

Dicitur aliàs **Bannasta pehw**/ à **kannatama leiden**/ propter secutam passionem Dominicam.

Resurrectio Domini **Leehawotme Põha**/ id est, carnis acceptio, quòd cœpere iterum carnem edere: quandoquidem ultimus Bacchanalium dies **Leehaheiti**/ i. e. carnis projectio audit; quòd ab isto die carnem non comederunt.

Adscensio Domini **Suur Risti pehw**/ magnæ crucis dies. Triduo enim antè, adeoq; ipso die, crucibus prælatis processiones instituebant solemnes.

D. Georgii dies **Jurri pehw**. Hic dies colitur à rusticis religiose, non ut orent; sed ut non laborent: quia Georgius equorum Patronus ipsis fuit. Hac nocte tecta sua scandunt, ascendentem in sylvâ fumum visuri, ut luporum nidos observent, eorumq; catulos raptant.

Festum Pentecostes **Suivaste Põha æsti**.
vale

vale festum, ut nativitas Domini **Talweste Põha** hyemale festum, antonomastice. Aliàs **nelli põha**/ à numero festorum magnorum.

Festum Johannis, **Jaani pehw**/ vel **Risti Jaani pehw**/ ob baptismum Christo per Johannem collatum.

Visitatio B. Virginis **heina Maria pehw**/ quòd incidat tempus colligendi fœni. Alij dicunt **punnane Maria pehw**/ i. e. rubræ Mariæ dies, quia hoc tempore colligitur herba & radix quædam, quâ rustici pannum tingunt rubro colore.

Laurentij dies **Laurige pehw**; Erat enim ipsis Laurentius Patronus ignis. Hinc rustici, quorum domos Vulcanus absumsit, eleemosynas colligunt **Laurige perrast**/ propter Laurentium; non propter Deum.

Animarum dies **hinge pehw**. Hic ijs est sollemnis. Hòc enim cibum & potum animabus demortuorum apponere solent in balneis suis, quasi illæ ijs indigeant.

S. Catharinæ **Kaddrina pehw**. Erat Catharina Patrona ovicularum.

S. Nicolai **Niggola pehw**. Nicolaus enim quasi Patronus boum maximè invocari ipsis solitus est, cum tauri castrarentur.

S. Thomæ **Thooma pehw**. Ille erat Patronus contra pestem: unde dicunt/ **Thooma kangte kessi**/ i. e. Thomæ dura manus. Item **Thomas ei puttub**/ non tangit. **Stj Vi.**